

26° Si furtum de re minori fecerit, re restituta, pœnitentiam agat unum annum.

27° Si quis usuras acceperit vel rapinam fecerit, pœnitentia tribus annis, uno in pane et aqua.

28° Qui affirmaverit verum esse quod falsum est, pœnitentiam agat ut adulter, ut homicida.

29° Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

30° Falsarius in pane et aqua pœnitentiam agat quamdiu vivet.

31° Qui de proximo detraxerit, pœnitens erit dies septem in pane et aqua.

32° Rem alienam nefarie concupiscens, pœnitens erit annis tribus.

33° Si quis concupiscit fornicari, si episcopus, pœnitens erit annos septem; si presbyter, quinque; si diaconus vel monachus, tres; si clericus aut laicus, annos duos.

Multi alii erant canones pœnitentiales, quorum plurimi perierunt. Quando novum occurrebat peccatum, sive ratione peculiaris malitiæ, sive ratione alicujus circumstantiæ, conveniebant episcopi, ut testatur S. Cyprianus, ad deliberandum quo genere pœnitentiæ expiaretur. Pœnitentia ab eis statuta in libro pœnitentiali inserebatur, ut deinceps regula esset a qua inferiores sacerdotes non recederent. Omnes episcopi diligenter investigabant, tum in sua synodo, tum in visitatione diœcesis, an quilibet presbyter suum haberet librum pœnitentialem diœcesi proprium, et an regulas in eo pro injungendis pœnitentiis statutis fidelissime sequeretur.

Libri pœnitentiales iidem non erant in omnibus provinciis ecclesiasticis, et inde varietas quæ inter canones nunc exstantes conspicitur.

Certum est hos canones a multis sæculis jam obsoletos esse, et pœnitentias juxta eorum rigorem non esse injungendas, quidquid dicant aut dicere videantur antiquæ severitatis laudatores, ut passim *Fleury*, in sua Historia et sermonibus præviis. Antiquos canones tamen penitus igno-

rare non licet, quia si disciplina Ecclesiæ decursu temporum mutata est, spiritus ejus idem semper est.

§ II. — De pœnitentia nunc injungenda.

Constat ex Concilio Tridentino supra citato pœnitentiam injungendam nunc relictam esse prudentiæ confessarii, qui, *pro qualitate criminum et facultate pœnitentiam, salubres et convenientes satisfactiones injungere debet.* Hæc propositio ulteriori probatione non indiget, sed tantum explicatione.

Dicitur 1° *pro qualitate criminum*; id est, habita ratione specierum, numeri et circumstantiarum peccati, ita ut pœnitentia « non sit tantum ad novæ vitæ custodiam » et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem. » Sunt verba sacri Concilii, *ibid.*

2° *Pro pœnitentium facultate*; idem habet Rituale Romanum. Debet ergo confessarius attendere facultatem, tum spiritualement, tum temporalem pœnitentium, ætatem, sexum, convictum, infirmitatem, etc., quia non omnes eadem possunt.

*Hinc* 1° non injungenda sunt jejunia infirmis, pueris, opificibus continuo labore defatigatis; 2° non peregrinationes, longæ preces vel eleemosynæ mulieribus sub potestate viri constitutis, filiis familias aut pauperibus nihil habentibus; 3° non præscribenda sunt opera quæ confessionem pœnitentis revelarent, vel eum ludibrio aliorum exponerent; 4° minor injungi potest satisfactio iis qui singularem exhibent contritionem vel piis operibus vacare solent, quia hæc defectum pœnitentiæ suppleant. Non tamen excusaretur confessarius, etiam a gravi culpa, si nullam vel levissimam pro magis peccatis injungeret pœnitentiam, quia pœnitens ipsi videtur vehementissime contritus, aut indulgentias lucraturus: ita saltem communius theologi, contra *Cajetanum*, *Navar.*, *Suarez*, etc. 5° Minuenda est pœnitentia si prudenter timeatur ne pœnitens vere conversus, sed adhuc debilis, a vita christiana

deterreatur, et in dubio magis sectanda est misericordia quam severitas, quia sacramentum Pœnitentiæ potius est forum indulgentiæ quam iræ et pœnarum, ut ait Concil. Trid., cap. 8. Unde in Decreto, causa 26, quæst. 7, cap. *Alligant*, legitur: « Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere quam propter crudelitatem? » Ubi enim pater-familias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, utquid sacerdos ejus austerus? Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus. »

« Si sacerdos, inquit *S. Antoninus*, tertia part., tit. 17, cap. 20, non possit gaudere de omnimoda purgatione sui pœnitentis, saltem gaudeat quod liberatum a gehenna transmittat ad purgatorium. »

Certum est hominem qui pluribus annis in mortalibus peccatis sæpe repetitis provolutus est, nunquam nimiam præstare posse satisfactionem; expedit ergo ut confessarius talem ei imponat pœnitentiam qualem ab eo præstari posse judicet: proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget an possit, anve dubitet pœnitentiam sibi injunctam peragere; alioquin eam mutabit aut minuet. » Sunt verba *S. Caroli*, Act. concil. Mediol. part. 4.

Unde si hujusmodi peccator libenter acceptet pœnitentiam singulis hebdomadis implendam, v. g., jejunium, aut recitationem psalmorum Pœnitentialium, per duos aut tres annos confessarius illam imponere potest, admonens eam esse pœna temporali luenda longe inferiorem: at sæpe minorem injungere tenetur, propter rationes modo expositas, et tunc « demonstrabit, inquit *S. Carolus*, *ibid.*, » his qui gravius peccaverint (quo magis scelerum suorum magnitudinem agnoscant) quanta ipsis pœnitentia ex canonum regulis imponenda esset; nec vero putent peccata sua levia esse, quia parva illis pœnitentia data est; sed hoc factum esse, ne eam quæ pro culparum ratione injungenda erat, deserant cum periculo salutis suæ. » Proinde pœnitentes hortandi erunt ut præter pœnitentiæ imposita opera, plura etiam alia præstare conentur. »

3° *Salutares*, id est medicinales simul et pœnales, juxta concilii Tridentini mandatum. Igitur optimum erit pœnitentias contrarias peccatis imponere, v. g., eleemosynas avaris, jejunia libidinis, humilitatis officia superbis, devotionis studia desidiosis: raro autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, consultum erit injungere ut festis solemnibus, vel semel in mense, vel etiam frequentius confiteantur. Item amatoribus mundi, ejusque pompas, choreas aliaque Satanae opera sectantibus, injungendum suadet *S. Carolus*, ut mane surgentes, revocent in memoriam sponsiones in Baptismo factas, quod idem vespere præstare poterunt. Alia hujusmodi remedia pio ac ferventi confessario, meditationibus lectionibusque sanctis assueto, facile occurrent.

4° *Convenientes*. Non solum enim requiritur ut satisfactiones sint in se salutares, debent insuper esse proportionatæ et convenientes, tum personæ, tum peccatis pro quibus imponuntur, juxta prudentiæ regulas. Hinc 1° publica pro delictis occultis imponi non debet pœnitentia, idque in Rituali nostro prohibetur; pro delictis autem publicis et scandalosis, solus episcopus aut ab eo delegatus pœnitentiam solemnem vel extraordinariam imponere potest. At quilibet confessarius eam injungere tenetur satisfactionem quam prudenter æstimat necessariam ad reparandum scandalum, v. g., postulationem veniæ, manifestationem pœnitentiæ, retractationem doctrinæ, verborum, scriptorum contra fidem aut mores, etc. 2° Caveat confessarius ne pœnitentias diversi generis operibus implicatas rudibus vel personis obliviosis imponat, aut aliquid singulis diebus per multum tempus faciendum injungat; necesse est ut simpliciter loquatur, præceptum a consilio clare distinguat, et aliquid semel, bis aut ter singulis hebdomadis faciendum præscribat, ut si pœnitens una die oblitus fuerit, omissionem altera die reparare possit. 3° Iis qui sæpe in eadem relabuntur peccata, quendam pœnitentiam imponere juvat pro unoquoque relapsu, v. g., jejunia pro incontinentiis, eleemosynas pro blasphemis, etc.

## § III. — De operibus injungendis.

Supponimus velut certum opera satisfactoria debere esse pœnalia, quia sic perpetuo exhibentur in Scriptura ac in tota traditione. Et revera, quis risum cohibere posset, audiendo opus sub omni respectu jucundum, v. g., ludum, ciborum delicatorem esum, vini generosi potum, in expiationem peccati impositum fuisse? Opus autem duplicem habere potest difficultatem: unam objectivam, seu ex natura ejus provenientes; et alteram subjectivam, id est ex parte hominis illud exsequentis. Sic oratio pœnalis est in se, sed aliis magis, aliis minus operosa, ratione dispositionum, tum animi, tum corporis.

Omnis actus virtutis est pœnalis, et ideo in satisfactionem imponi potest; quia eo ipso quod mentem ad cœlestia erigat, homini carnali plus minusve adversatur.

Concilium Trid., sess. 6, cap. 14, triplex distinguit genus pœnalarum operum ad quæ cœtera revocari possunt, scilicet, jejunia, eleemosynas et orationes.

1° Jejunia, ad quæ revocantur omnes carnis afflictationes, ut 1° ipsum jejunium, et etiam aliquando in pane et aqua; 2° abstinencia a carnibus, vino alioque liquore fermentato, aut illius aqua multa temperati usus; 3° flagellationes et cilicia; 4° sanctæ peregrinationes, præsertim pedibus factæ, quamvis *qui multum peregrinantur, raro sanctificentur*, ait auctor libri de Imitatione Christi; 5° vigiliæ, humi vel in lecto duro cubationes; 6° genuflexiones, brachiorum extensiones, aut alii pœnales situs corporis; 7° abstinencia a deliciis, conviviis, ludo, venatione, equitatione, vestibus exquisitis, etc.

2° Per eleemosynas, intelligi debent omnia misericordiæ opera, sive corporalia, sive spiritualia, v. g., eruditio ignorantium, visitatio infirmorum, consolatio afflictorum. Si confessarius pœnitentias pecuniarias imponat, caveat ne eas suscipiat erogandas, ne in aliquam suspicionem avaritiæ aut fraudis deveniat, etc.

3° Orationis nomine comprehenduntur 1° recitatio Of-

ficii divini, Psalmorum, Rosarii, etc.; 2° meditatio et oratio mentalis, lectio librorum spiritalium, sive privata, sive coram familia; 3° examen conscientiæ, sero et mane, renovatio propositi vitæ emendandæ et actus contritionis; 4° certus numerus actuum fidei, spei, charitatis, humilitatis, contritionis, etc.; 5° visitatio ecclesiarum, adoratio sanctissimi Sacramenti, quædam exercitia religionis; 6° frequens sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ susceptio, auditio missæ, assistentia concionibus sacris vel catechismis, ingressus in confraternitatem, actus vel exercitia pietatis sive erga Dominum nostrum Jesum Christum, sive erga B. Virginem, sive erga sanctos aut aliquem sanctorum, sive etiam bonum opus, v. g., recitationem Rosarii, in favorem alicujus personæ.

Cum, ex dictis, omnis actus virtutis sit opus satisfactorium, inde sequitur opera alias debita esse satisfactoria, quia non desinunt esse actus virtutis, et tunc duplici titulo obstringunt: ea igitur in pœnitentiam injungi possunt, et tunc dignitati sacramenti participant. Hinc confessarius præscribere potest, v. g., fugam alicujus personæ scandalosæ, recessum a cauponibus, abstinenciam a choreis vel comœdiis, jejunium in Quadragesima, auditionem sacri in die Dominica, etc. Alia tamen, saltem ordinariæ, addenda sunt opera indebita.

Item imponi potest patientia in flagellis et tribulationibus hujus vitæ tolerandis, v. g., rusticis, servis, opificibus pia elevatio mentis ad Deum inter labores et defatigationes.

Sape etiam juvat imponere hujusmodi pœnitentibus ut, per tempus determinatum, mane ante laborem, vespere ante cubitum, die Dominica ante vel post missam genuflectentes, aliquandiu de morte, judicio Dei et inferno cogitent, peccata præterita detestentur, et innovent consilium potius moriendi quam iterum peccandi.

Quæritur an bona opera pœnitentis, etiam non imposita per verba confessarii, *quidquid boni feceris et mali sustineris*, ad effectum pœnitentiæ sacramentalis eleventur.

R. Plures negant, quia virtus clavium opera pœnitentis

non elevat, nisi in quantum ligat; prædicta autem verba confessarii nullam imponunt obligationem: ergo.

Alii vero multo plures, cum *S. Thoma*, affirmant, et hac sola ratione nituntur, scilicet, quod Ecclesia frustra non jusserit ut dicta verba proferrentur: ergo in ipsius mente bona opera etiam libere a pœnitente suscepta, ad rationem satisfactionis sacramentalis elevantur, saltem si talis sit intentio confessarii et pœnitentis bona opera facientis, quod ipsi valde utile est, et ideo consulere bonum.

### ARTICULUS TERTIUS.

DE OBLIGATIONE ACCEPTANDI ET ADIMPLENDI PŒNITENTIAM A CONFESSARIO IMPOSITAM.

#### PROPOSITIO.

*Pœnitens tenetur, sub peccato ex genere suo mortali, acceptare et adimplere pœnitentiam rationabilem et peccatis proportionatam, a confessario sibi impositam.*

*Prob. 1º concil. Lateran. IV, can. 21, ubi dicitur de fideli utriusque sexus, ut injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere.*

2º *Ratione.* Confessarius non solum potest, sed tenetur, sub peccato de genere suo mortali, pœnitentiam sacramentalem imponere: at repugnat illum teneri pœnitentiam imponere, si pœnitens non teneatur illam acceptare aut acceptam implere. Præterea pœnitentia est pars integra sacramenti: porro non magis licet pœnitenti quam confessario sacramentum reddere mutilum: ergo.

Diximus 1º *sub peccato de genere suo mortali*; quia res gravis est momenti, vel in se, ubi magna imponitur pœnitentia pro magnis peccatis, vel respectu sacramenti, si levis pœnitentia pro levibus delictis, aut pro gravibus jam remissis imponatur: secus esset si, pœnitentia pro majori parte impleta, pars levis omitteretur. Multi etiam dicunt omissionem pœnitentiæ levis, pro levibus aut jam remissis impositæ, esse duntaxat peccatum veniale: ita

*S. Ligorius*, lib. 6, n. 517, et celebriores theologi apud ipsum.

Diximus 2º *rationabilem*; quia si pœnitentia videatur evidenter injusta, impossibilis aut nimis onerosa, et confessarius humiliter rogatus, eam minuere vel in aliam faciliorem commutare nolit, tunc pœnitens sine gravi et forte sine ulla culpa recedere potest non absolutus, et alium confessarium adire. Sic *Concina*, *Suarez*, *Layman*, *S. Ligorius*, etc. At qui mortalia confessus est peccata, et levem tantum, sine rationabili causa, vellet pœnitentiam, mortaliter peccaret, sicut confessarius qui in eo casu levem tantum, sine justa causa, injungeret.

Si pœnitentia libere acceptata facta fuerit impossibilis, tunc non obligat; nemo quippe ad impossibile tenetur. Unde qui pœnitentiam oblitus est, eam a confessario requirere debet, si possit, si vero non possit, aut si confessarius illius non recordetur, ad illam non tenetur, quia facta est impossibilis. Nec peccata iterum confiteri tenetur ut novam accipiat pœnitentiam, quia novum tunc esset sacramentum, et prius non ideo fieret integrum. Verumtamen id convenientius foret ad remittendam aut minuentem pœnam temporalem peccatis debitam.

Si oblivio fuerit culpabilis, v. g., propter negligentiam in adimplenda pœnitentia, sufficit etiam hoc peccatum in sequenti confessione declarare; tutius tamen reus petet a confessario ut major sibi imponatur pœnitentia. Ita expresse *Billuart*, de Pœnit.

Circumstantia pœnitentiæ impositæ, ut, v. g., recitare Rosarium flexis genibus, potest esse sub gravi vel sub levi; id pendet a molestia ei annexa, et a voluntate confessarii eam determinantis ac præscribentis.

*Quæritur* 1º an confessarius possit imponere pœnitentiam gravem sub levi pro peccatis mortalibus.

*R.* Quidam negant, dicentes illum esse ministrum Dei, et naturam materiæ per se sub mortali obligantis mutare non posse: alii vero multo communius affirmant, quia confessarius vere est iudex, et sententiam ferendo conditiones absolutionis pro arbitrio determinat. Verum, ut

recte notat *S. Ligorius*, l. 6, n. 518, excepto casu rarissimo ægritudinis aut vehementis contritionis, saltem aliqua satisfactio sub gravi injungenda est. Ergo.

*Quæritur* 2º quo tempore implenda sit pœnitentia.

*R. 1º.* Non necesse est ut ante absolutionem impleatur, idque constat 1º ex praxi hodierna totius Ecclesiæ; 2º ex condemnatione propositionis sequentis a Sixto IV, anno 1478, quæ est *Petri Osmensis*: « Non sunt absolvendi » pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia iis injuncta; » 3º ratione; satisfactio enim non est pars essentialis, sed tantum integralis sacramenti: ergo confessarius exigere non debet a pœnitente sufficienter disposito ut pœnitentiam ante absolutionem impleat. Si autem prudenter judicet pœnitentem non esse sufficienter dispositum, pœnitentiam simul medicinalem et pœnalem ei injungat, eumque pro aliquo tempore remittat, ut melius disponatur: pœnitentia quam interea implebit, effectum non habebit ex opere operato, sicut et confessio, nisi eo instanti quo, accedente absolutione, perficietur sacramentum. Ita *Dens*.

*R. 2º.* Si tempus a confessario fuerit determinatum, eo tempore implenda est pœnitentia; et illo effluxo, non liberatur pœnitens, quia non ad finiendam obligationem adjicitur tempus. Si vero tempus non fuerit determinatum, quamprimum moraliter implenda est pœnitentia, et mortale esset peccatum eam diu differre. Ratio quam afferunt auctores est integritas sacramenti, mutili remanentis, donec impleatur satisfactio a confessario injuncta.

Quanta autem requiratur dilatio ut peccatum sit mortale, non conveniunt inter se doctores: communius dicunt dilationem intra octiduum vel etiam usque ad quindenam non reputandam esse gravem, seclusa ratione medicinæ, quæ prius urgere potest: at probabilius est dilationem ad mensem, sine ratione excusante, peccatum esse mortale. Vide *S. Ligorium*, l. 6, n. 521. Si pars tantum pœnitentiæ differatur, peccatum erit veniale aut mortale, juxta quantitatem dilatam et gradum negligentiam.

*Quæritur* 3º quænam sint conditiones quibuscum pœnitentia impleri debeat.

*R. 1º.* Quamvis ad implenda præcepta in genere intentione ipsis satisfaciendi non sit necessaria, communius tamen doceat theologi aliquam requiri intentionem ut pœnitentia a confessario imposita recte impleatur. Pœnitentia enim effectum producit ex opere operato; necesse est ergo ut quemdam ad sacramentum habeat ordinem, quem per intentionem præcipue obtinet. Ergo.

*R. 2º.* Pius requiritur affectus quoad ea opera quæ sunt actus religionis, ut auditio missæ, oratio, etc., et probabilius etiam quoad alia opera, v. g., jejunia, eleemosynam, etc. Saltem, juxta omnes, actualis excludi debet affectus ad peccatum mortale, imo et ad veniale quod esset finis totalis operis; nam opus, per talem affectum totaliter vitiatum, satisfactorium esse non posset.

*R. 3º.* Status gratiæ non requiritur quoad ea opera quæ ut implenda ante absolutionem imponuntur; hoc patet ex praxi Ecclesiæ. Quoad vero opera post absolutionem exsequenda, saltem venialiter peccat qui suam pœnitentiam adimplet in statu peccati mortalis, siquidem integram sacramenti partem indigne suscipit, et obicem fini ejus voluntarie ponit. Probabilius est tamen et communissime docent theologi eum substantialiter satisfacere, quia solum opus præscribitur, non vero finis ejus. Ita *P. Antoine, Collet, Billuart, Dens* aliique rigidiores. Imo, juxta multos, sicut pœnitentiæ ante absolutionem jussu confessarii implendæ reatum pœnæ temporalis tollunt, cum peccatum postea per absolutionem remissum fuerit; ita pœnæ post absolutionem agendæ, etiamsi in peccato postea superveniente impletæ fuerint, tamen sublato per justificationem obice, suum effectum assequuntur. Ita *P. Antoine*.

Valde utile est ut saltem aliqua pœnitentiæ pars imponatur brevi post absolutionem faciendâ.

## ARTICULUS QUARTUS.

DE COMMUTATIONE PŒNITENTIÆ A CONFESSARIO INJUNCTÆ.

*Certum est* 1º ipsum pœnitentem eam mutare non posse etiam in opus longe melius : nam pœnitentia a confessario imposita, auctoritate clavium Ecclesiæ ad rationem sacramenti elevatur, et habet vim penam temporalem ex opere operato remittendi : pœnitens autem non potest auctoritate sua vim hujusmodi conferre operi a se determinato quantumvis bono. Ergo.

*Certum est* 2º confessarium pœnitentiam a se impositam, in ipso tribunali sacro, vel etiam, juxta multos, inter quos *S. Ligorius*, l. 6, n. 529, extra tribunal, mutare posse, eodem sacramento moraliter durante, v. g., antequam pœnitens discedat, vel si statim redeat, quia hæc mutatio ad idem iudicium pertinet : quidam hoc tempus extendunt ad plures dies, vel etiam ad hebdomadam ; *S. Ligorius*, l. 6, n. 528. Eodem iudicio amplius non durante, idem confessarius pœnitentiam mutare non potest, nisi, iterata confessione saltem in genere, absolutio concedatur ; alioquin nova pœnitentia non esset sacramentalis. Sufficit in eo casu ut pœnitens, si confessarius statum ejus saltem confuse recordetur, dicat : Accuso me de omnibus peccatis quæ jam tibi, pater, confessus sum.

3 Quivis sacerdos legitime approbatus mutare potest, ob justam causam, pœnitentiam ab alio impositam : nam sacramentum Pœnitentiæ in bonum animarum a Christo fuit institutum : si ergo satisfactiones injunctæ factæ fuerint irrationales, impossibiles, nimis difficiles, inconvenientes, etc., necesse est ut mutari possint ; at priore sacramento non durante, in altero iudicio tantum mutari possunt : porro quilibet sacerdos legitime approbatus in novo iudicio sententiam ferre potest ; ergo. Ita fere omnes theologi, contra *Soto* et *Vasquez*.

In eo autem casu iterandum est sacramentum cum cunctis partibus ejus, scilicet contritione, confessione et absoluteione ; alioquin, *ut jam diximus*, nova pœnitentia

non esset sacramentalis. Attamen, cum peccata clavibus directe subjecta et vi prioris absoluteionis remissa fuerint, sufficit præcipua in secunda confessione declarare, ita ut confessarius statum pœnitentis modo generali noscat, nisi forte pœnitentia mutanda medicinalis fuisset ; tunc namque distincte aperienda esset causa.

Monet *P. Antoine* aliquid ex priori pœnitentia relinquendum esse, ne prius sacramentum integritate sua careat : subintelligendum est, si nulla pars ante mutationem fuerit impleta.

Diximus *legitime approbatus*, id est, habens jurisdictionem in peccata pro quibus pœnitentia fuerat imposita : unde qui non est approbatus pro reservatis, juxta tutiorem et communiorem sententiam, mutare non posset pœnitentiam pro reservatis impositam.

Non extra dubium nobis videtur quod dicit *Billuart*, de Pœnitent., scilicet pœnitentem, post mutationem pœnitentiæ, ad priorem propria auctoritate redire posse, quia mutatio in ipsius gratiam facta est ; posterior enim pœnitentia est sacramentalis : quomodo ergo sine iudicio sacramentali omitti posset ?

*Queritur* an unus pro altero satisfacere possit.

*R. 1º.* Si agatur de satisfactione in genere, vel spectatur ut solutio debiti, vel ut medicinalis : in priori casu, unus pro altero satisfacere potest, saltem per modum suffragii, id est, satisfactiones suas Deo pro minuenda pena temporali fratris sui vivi aut defuncti offerre. Ita omnes catholici contra hæreticos. In posteriori vero casu, unus pro altero non magis satisfacere potest, quam sumere medicinam ad curandum alterius morbum.

*R. 2º.* Ubi de satisfactione sacramentali agitur, repugnat unum pro altero satisfacere, nam ista satisfactio, quatenus sacramentalis, est actus pœnitentis, ex conciliis Florentino et Tridentino supra citatis : ergo a solo pœnitente impleri potest. Unde *Alexander VII* sequentem damnavit propositionem : « Pœnitens propria auctoritate substituere » alium sibi potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. »

Excipiendus est casus in quo confessarius non imposuisset actum personalem et afflictivum : tunc nihil obstaret quominus pœnitens satisfactionem sibi injunctam per alium impleret, v. g., elemosynam pauperibus erogandam alteri committeret, nisi ex intentione confessarii ipse pauperes visitare deberet.

*Nota.* Si modus satisfaciendi non fuerit a confessario determinatus, arbitrio pœnitentis relinquitur : hinc si recitatio Rosarii, v. g., simpliciter injuncta fuerit, pœnitens satisfaciet illud recitando genuflectens, stans, deambulans, sedens, aut alternatim cum alio : si pia lectio fuerit præscripta, sufficet legere oculis et mente sine verbis articulatis, etc.

## CAPUT SEXTUM.

### DE FORMA SACRAMENTI PœNITENTIÆ.

In præcedentibus capitibus de materia hujus sacramenti tractavimus : nunc per ordinem de forma ejus agendum est, et tria examinanda forent, videlicet 1<sup>o</sup> quæ sit forma hujus sacramenti, 2<sup>o</sup> quis ejus sensus, et 3<sup>o</sup> an forma deprecatoria sit valida. Jam probavimus adversus novatores sensum formæ seu absolutionis esse actum judicialem. Restat igitur ut duo alia examini subjiciamus.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### QUÆ SIT FORMA SACRAMENTI PœNITENTIÆ.

Concilium Florentinum, in Decreto ad Armenos, hæc habet : • Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis » quæ sacerdos profert, cum dicit : *Ego te absolvo*, etc.; et Conc. Trid., sess. 14, cap. 3 : « Docet præterea sancta » Synodus sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam » esse : *Ego te absolvo*, etc., quibus quidem de Ecclesiæ » sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur :

» ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, » neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ. »

Unde Rituale Romanum hæc statuit :

« Sacerdos cum pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius et ab eo accepta pœnitentia salutari, primo dicat :

« *Misereatur tui omnipotens Deus, et, dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.*

» Deinde, extensa versus pœnitentem dextera, dicit : *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.*

» *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges; deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*

» *Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatæ Mariæ Virginis et omnium sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ et præmium vitæ æternæ. Amen.*

Admonet postea idem Rituale omittendam esse vocem *suspensionis*, si pœnitens sit laicus; omittenda est pariter si sit clericus in sacris non constitutus : et addit, in confessionibus frequentioribus et brevibus omitti posse orationes, *Misereatur* et *Indulgentiam*, satisque esse si dicatur *Dominus noster* usque ad *Passio Domini*, urgente vero gravi necessitate, breviter dici posse : *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*

Rituale Cenomanense dicit faciendum esse signum crucis super pœnitentem, dicendo *Indulgentiam*, etc., etc., extendendam dextram versus eum, dum dicitur *Dominus noster*, etc. (cui orationi quædam adduntur verba), et ambas jungendas esse manus, dicendo *Passio Domini*, etc.

Circa modum administrandi sacramenta, unusquisque accurate ediscere tenetur Rituale propriæ suæ diœcesis, et a regulis in eo contentis recedere non debet.